

dictum latius patere, quam consilium perfectionis, quod ad statum perfectionis constituendum ordinatur. In illa ergo lege non fuerunt data nec explicata consilia perfectionis; hoc enim imperfectionem ejus superabat; nam si fortasse aliqui statum perfectionis professi sunt, illud non fuit ex doctrina legis, sed ex divino instinctu. At vero inducere ad aliqua consilia, quæ in communi hominum vita et statu exerceri possunt, non excedebat perfectionem illius legis, imo erat illi consentaneum, ut ostensum est.

CAPUT V.

UTRUM LEX VETUS CONVENIENTI MODO, TEMPORE ET ALIIS CIRCUMSTANTIIS DATA FUERIT.

1. *De aliis circumstantiis legis veteris.* — Explicatis cæteris causis illius legis, superest dicendum de forma servata in illa lege tradenda, quæ res, quantum ad scholasticum negotium spectat, facilis est. Quia forma legis (ut sæpe in hoc opere notatum est) dicitur externum signum, quo voluntas seu mens legislatoris manifestatur. Unde hic non agimus de actu ipso interno in Deo existente, qui est veluti substantialis lex, et quasi forma et anima signi externi: nam de illo actu eadem est ratio in hac lege, quæ in omni alia, servata proportione, ideoque applicanda est doctrina tradita in lib. 1 de Lege in communi. Agimus ergo de lege externa et sensibili, per quam populo Israelitico innotuit interna mens et voluntas Dei. Diximus autem in superioribus duo principaliter requiri in hac forma legis, scilicet, significationem externam aliquo sensibili signo factam, et publicam promulgationem cum convenienti solemnitate toti communitati factam; utrumque ergo in forma illius legis servatum est; nam licet esset divina ex parte auctoris, dici potest humana ex parte recipientium, et ideo humano modo, seu hominibus accommodato, dari necessarium fuit; et ideo utrumque a nobis explicandum est, simulque circumstantias in illa lege tradenda servatas, quatenus ad solemnitatem illius formæ pertinent, declarabimus.

2. *Forma illius legis quæ.* — Circa primum, dicendum est formam illius legis fuisse verbum sensibile ipsiusmet Dei, hominibus sufficienter significans ipsius voluntatem. Hoc constat Exodi 20: *Locutusque Dominus est cunctos sermones hos*; et infra: *Cunctus au-*

tem populus videbat voces. Ubi verbum videndi, ut notat Augustinus, quæstion. 72 in Exod., generaliter sumitur prout de quocumque sensu dici solet, vel etiam prout ad mentem et intelligentiam traducitur; et ita sensus erat, *videbat voces*, id est, intelligebat quid per vocem Dei significaretur. Illud autem dictum est de lege quoad Decalogum, de cæteris vero præceptis subditur: *Dixit præterea Dominus ad Moysen*; et sæpe repetuntur illa verba: *Locutus est Dominus ad Moysen.* Neque refert quod illa verba effective formarentur immediate ab Angelo in aere, vel in Moysi sensibus, quia nihilominus verba illa erant dictata a Deo ipsi Angelo, et ita erant a Deo, ut a propria causa principali. Et eadem ratione non solum data est illa lex Moysi per proprium Dei verbum, sed etiam ab ipso Moysese data est populo, ipsomet Deo verba legis dictante: sicut enim Moyses illam scripsit, ita etiam verba protulit; scripsit autem illam legem ut canonicus scriptor, dictante Spiritu sancto, ut de fide constat; ita ergo illam etiam protulit. Unde Exod. 24 dicitur: *Venit ergo Moyses, et narravit populo omnia verba Domini, atque judicia, responditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus*; et statim additur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini*; ubi significatur, prius dixisse, et postea scripsisse legem, fortasse tamen illud prius per anticipationem dictum est: nam paulo post subditur: *Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.* Et Paulus ad Hebr., 9, dixit: *Lecto enim omni mandato legis a Moysese universo populo, accipiens sanguinem, etc.*, ubi Riber. merito reprehendit Erasm., quod pro dictione *lecto* posuerit *dicto*: nam licet revera dixerit, tamen ex libro dixit, ut verba Exodi ostendunt. Fieri autem potuit ut prius verbo retulit quæ acceperat, et postea ea scripserit, ac deinde iterum legerit audiente populo, quod incertum est; et verisimilius apparet, prius legem scripsisse, et postea ex scripto legisse. Utcumque tamen sit, semper verbis Dei et Spiritus sancti dictatis locutus est.

3. *Objectio.* — Dices: Quid ergo est quod Paulus, ad Hebr. 2, legem illam minus perfectam esse ostendit, eo quod sit sermo per Angelos dictus: nam si sermo ille erat sermo ipsiusmet Dei, non variat neque minuit dignitatem verbi, quod per Angelum vel hominem, sive etiam per ipsum Deum proferatur,

ut in simili dixit Gregorius, lib. 1 Moral., cap. 1. Respondetur, quoad verbi certitudinem et infallibilitatem, et quoad legis auctoritatem, non referre quod per hunc vel illum ministrum proferatur; et in hoc sensu pertinere ad magnam illius legis dignitatem, quod per verbum Dei suam voluntatem manifestantis formaliter (ut sic dicam) constituta sit. Nihilominus tamen, ad majorem quamdam sermonis excellentiam accidentalem pertinere potest persona ministri immediate loquentis, vel quia ex proxima habitudine ad illum habet quamdam dignitatem moralem, propter quam majorem reverentiam meretur, quomodo Evangelii verba a CHRISTO prolata majori reverentia audiuntur; vel quia solet rex graviores leges per ministros majoris auctoritatis proponere; et hoc modo lex vetus, licet fuerit verbum Dei, in hoc ipso minore dignitatem habet quam lex gratiæ, ut postea videbimus.

4. *Differentia inter præcepta Decalogi et alia.* — Interrogabis ulterius quale fuerit illud verbum Dei, an prolatum, vel scriptum. Respondeo jam ex dictis constare utrumque intervenisse; nam lex Decalogi prius voce prolata est, Exodi 20; et postea digito Dei scripta est in tabulis, Exodi 24, 31 et 32; de cæteris autem præceptis jam declaratum est: unde, si quaeratur an utrumque signum, vel alterum tantum, fuerit de substantia illius legis, respondeo breviter quodlibet illorum per se fuisse sufficiens, concurrentibus aliis requisitis, et attenta communi ratione legis supra tradita. Ex dispositione autem divina videtur fuisse necessaria scriptura ad substantiam et obligationem illius legis, saltem in duratura erat in tota posteritate illius populi, *donec veniret semen*, ut Paulus ait: nam ille populus non tenebatur leges alias observare ut divinas, et a Deo expresse traditas, nisi quæ scriptæ erant, juxta illud Deuter., 4: *Non ad delis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ea eo: custodite mandata Domini Dei vestri*; et ideo sæpe Deus præcipit legem illam scribi, Exodi 34, et Deuteron. 27, 28; et per antonomasiam lex scripta vocatur, ut sumitur ex Deuter. 30 et 31. Nihilominus tamen fieri potuit ut populus ille, qui aderat editioni legis, statim illa obligaretur ante scripturam, sicut obligabantur lege circumcissionis ante scripturam ejus. In quo potest notari differentia inter præcepta Decalogi et alia: nam Decalogus, priusquam scriberetur, voce Dei sufficienter propositus

est, et ideo sine dubio statim obligavit, non tantum ut erat lex naturalis ratione fundata, sed etiam ut erat lex specialiter a Deo data, quæ, hoc solo titulo, obligaret etiam eos qui rationem talium præceptorum ignorent. Alia vero præcepta, licet Moysi per sermonem tradita fuerint, populo non fuere proposita, nisi ex scripto, ut diximus; et ideo, antequam scriberentur, non habuerunt plenam et consummatam rationem legis.

5. *De ordine et numero Decalogi in tabulis scripti.* — *Prima sententia.* — *Secunda opinio præferenda.* — Denique circa hanc formam, quatenus per voces edita est, nihil adnotandum occurrit, præter superius dicta de ministerio hominis vel Angeli in illis verbis formandis. Quatenus vero scripta est, sufficit etiam dicere consulendam esse veterem scripturam, præsertim in Exodo, Levit. et Deuter.; nam in illis tota forma illius legis et singulorum præceptorum ejus latissime describitur, præsertim quæ ad cæremonialia et judicialia spectant, et ideo solum oportet verba Scripturæ expendere: nam illius sensu substantia illius legis consistit. Quoniam vero de præceptis Decalogi specialiter dicitur fuisse in duabus tabulis lapideis scripta, et Scriptura non declarat quomodo fuerint distributa, ideo aliquid de hoc dicere necessarium est; nam ad formam illius legis aliquo modo spectat. Aliqui ergo dixerunt in singulis earum fuisse quinque præcepta scripta. Quod tradit Joseph., 3 Antiquit., c. 6, et Philo, lib. Decalog., et Hugo Cardinal., Exod. 20, et sequitur Sot., lib. 2 de Justit., quæst. 3, art. 4. Alii vero putant in una tabula fuisse tantum præcepta pertinentia ad Deum, in alia vero pertinentia ad proximum. Quod sentit Augustinus, quæst. 71 in Exod., et quæst. 7 in lib. Quæst. utriusque testamenti, et lib. de Decem chordis, cap. 6; et hoc sequitur Abulens. in cap. 20 Exod., q. 2; et Burgen., in cap. 32 Exodi, addit. 4. Inter quas sententias difficile est ferre iudicium, quia auctores harum opinionum non viderunt tabulas scriptas, ut possint de illis ferre testimonium. Et scriptura non explicat modum partitionis, nec firma ratione aut traditione certa ostendi potest. Si tamen conjectura utendum est, posterior est præferenda, quia decuit ut præcepta ad Deum pertinentia separatim et in prima tabula traderentur; et ita usus obtinuit ut illa dicantur præcepta primæ tabulæ, et alia secundæ, ut patet ex D. Thoma, quæst. 100,

art. 4 et 5; Magist. cum doctoribus in 3, distinct. 37, et aliis communiter.

6. *Circa promulgationem legis veteris distinguendum.* — Circa alteram partem illius formæ, quæ est promulgatio, distinguere oportet Decalogum a reliqua parte legis: nam solemnitas promulgatio Decalogi sufficienter describitur Exod. 20, cum magnis signis terroris et majestatis, quibus ille populus tunc indigebat, et accommodata erant illi legi, quæ timoris erat. Et quia tunc præsens aderat totus populus pro quo tradebatur, et vox talis erat, ut a cunctis audiri posset, ideo ita fuit promulgatio sufficiens, ut nulla divulgatio vel temporis successio necessaria fuerit: atque ita lex illa simul edita et promulgata est. Unde recte scripsit Augustinus, lib. 10 de Civit., cap. 13: *Cum oporteret Dei legem in edictis Angelorum terribiliter dari, non uni homini paucisve sapientibus, sed universæ genti, et populo ingenti, coram eodem populo magna facta sunt in monte, ubi lex per unum dabatur, conspiciente multitudinem metuenda ac tremenda quæ fiebant. Non enim populus Israel sic Moysi credidit, quemadmodum suo Lycurgo Lacedæmonii, quod a Jove, seu Apolline leges quas condidit, accepisset. Cum enim lex dabatur populo, qua colit unus jubebatur Deus, in conspectu ipsius populi in quantum sufficere divina providentia judicabat, mirabilibus rerum signis ac motibus apparebat, ad eandem legem dandam docentem creatori servire creaturam.* Ex quibus verbis unusquisque facile colligere potest, circumstantias omnes necessarias ad sufficientem promulgationem ibi intervenisse, definitas juxta consilium divinæ sapientiæ et voluntatis ejus, cum rationibus seu congruentiis ejusdem voluntatis. Qui vero plura de illis signis in particulari desiderat, legat Abulensem in cap. 20 Exod., quæst. 36 et sequentibus. Post illam vero Decalogi promulgationem, ad illius perpetuitatem voluit Deus præcepta illa in lapidibus describi ministerio Angelorum, ad majorem illorum præceptorum commendationem, ut plane colligitur ex 31 Exod., et Deuteron., 4 et 9. Postea vero Moyses iratus contra populum, propter vitulum conflatilem, confregit eas; deinceps vero ipse Moyses, jussu Dei, eadem præcepta in aliis duabus tabulis scripsit, Exod. 34. Ac tandem veneratione præcepta illa haberentur, ut constat ex 3 Reg., 8; 2 Paralipomenon., 5; ad Hebr., 9. Reliqua vero omnia præcepta legis promulgavit

Moyses, ea publice legendo coram populo, ut supra dictum est, et illa vero Dei scripta non quidem in arca, neque intra Sancta sanctorum, sed extra illa servari voluit. In quo significatum quidem est, præcepta Decalogi esse graviora, et magis necessaria, non tamen alia minutiora et parvi momenti, ut quidam ineaute loquuntur.

7. *Lex vetus cui populo data.* — Atque ex dicta legis promulgatione et forma ejus colligi potest, primo, legem illam non esse datam pro universo mundo, sed pro solo populo Israel, ut tradit D. Thomas, q. 98, art. 4, et sumitur aperte ex forma ejusdem legis, Exodi 19, 20 et sequentibus, ubi ad illum populum solum sermo legis dirigitur; et Deuteron. 4: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel;* et cap. 5: *Audi, Israel, etc.;* et infra: *Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.* Deinde lex illa soli illi populo promulgata est, tantumque præcipiebat eis quibus dabatur, ut eam docerent filios suos ac nepotes, ut dicitur Deuteron. 4. Denique pactum circumcisionis, et præceptum ejus cum solo Abraham initum est, et pro illius posteritate traditum, Genes. 17; illa autem lex circumcisionem supponebat, ut constat ex 12 Exodi, ubi sermo specialiter est de religione Phœ: eadem autem ratio est de tota lege, ut constat ex Paulo ad Galat., 5. Unde idem ad Roman., 3, interrogans: *Quæ utilitas circumcisionis?* respondet, *multum per omnem modum, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ac denique ad Roman., 9, inter prærogativas Judæorum ponit, quod eorum fuit legislatio. Ratio autem ob quam lex illa data est particulari populo, et non omnibus hominibus, reddi potest, primo, quia illa non est data ut simpliciter necessaria ad salutem; nam sine illa potuerunt homines salvari ante illam, et Gentiles illa durante, et licet posset esse utilis, non cogitur Deus eadem media utilia omnibus conferre, et multo minus eadem præcepta omnibus tradere.

8. *Cur illi populo data lex vetus.* — Deinde data est illi populo potius quam aliis, non propter justitias ejus: *Cum populus esset duræ cervicis,* ut dicitur Deuteron., 9, sed ex divina electione, juxta illud Psalm. 149: *Quia beneplacitum est Domino in populo suo;* et illud Psalm. 147: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis;* idemque late sumitur ex Deuteron., 4, et Exod. 19: *Si audieritis vocem meam, et cus-*

audieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra. Quæ verba supponunt electionem et vocationem gratuitam, et ad executionem seu durationem effectus conditionem requirunt. Ratio autem inde sumi potest, quia ex illo populo erat CHRISTUS nasciturus, in cujus honorem Deus voluit specialiter disponere illum populum, mediante lege, ut supra dictum est, et ita electio ad illam legem supponit aliam electionem Abrahæ, ut esset CHRISTI progenitor, quæ gratuita fuit, et non ex meritis ejus, licet, illa electione supposita, et gratis recepta prima vocatione ad fidem, per illam potuerit mereri de congruo, ut CHRISTUS ex se nasceretur, et consequenter dispositionem suæ posteritatis convenientem ad illum finem ex ordine divinæ providentiæ, juxta illud Genes. 22: *Quia fecisti rem hanc, etc. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, etc.;* de quo videri possunt dicta in 1 tom. 3 part., disp. 10, sect. 6.

9. *Dupliciter gentes potuerunt legem illam acceptare.* — Advertendum est autem, licet lex illa non fuerit gentibus imposita, nihilominus voluntarie potuisse illam amplecti, idque duobus modis. Primo, per imitationem, acceptando, verbi gratia, in suis regnis vel rebus publicis, et in eis similes leges statuendo; hoc enim nec per se malum erat, nec prohibitum. Tunc autem leges illæ in talibus populis humanæ essent, non divinæ, quia ibi non obligarent ex vi divinæ legislationis, sed ex voluntate alicujus principis humani, sicut nunc lex solvendi decimas in Ecclesia quoad quotam humana est, licet in populo Israel fuerit divina. Secundo, poterant gentes legem illam voluntarie profiteri, assumpta prius circumcisione, ut constat Exodi 12; tunc autem licet legis professio esset voluntaria, postea observatio esset necessaria, juxta illud Pauli ad Galat., 5: *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor est universæ legis faciendæ.* Et ideo CHRISTUS Dominus, Matth., 23, reprehendit Phariseos, qui summa diligentia proselytos facere procurabant, et postea illos faciebant filios gehennæ. Ubi non reprehendit priorem sollicitudinem (sed potius supponit esse de se bonam et conformem legi), sed reprehendit secundum, quia Gentiles factos proselytos ad observationem legis non juvabant, sed potius suis traditionibus et pravis exemplis corrumpabant.

10. *De loco promulgationis.* — *Prima opinio.* — *Secunda opinio.* — Ultimo, circa hanc

legis promulgationem, duæ circumstantiæ advertendæ sunt, scilicet, locus et tempus: nam quoad locum videtur esse aliqua diversitas in Scriptura: nam in Exodo sæpe significatur datam esse in monte Sina, ut patet ex cap. 3, 19 et sequent., et Actor. 7; in Deuteron. autem, cap. 1, 5 et aliis, et 3 Reg., 8, et sæpe alias, dicitur lex data in monte Horeb, qui etiam dicitur mons Dei, 3 Reg., 19, fortasse quia Deus illum elegit ad ostendam majestatem suam, et tanquam curiam regni sui peculiaris ad legem suam promulgandam. In hoc tres invenio sententias. Prima dicit illos fuisse duos montes juxtapositos in deserto Arabiæ. Ita tenet Euseb. in locis hebraicis a Hieronym. translatis. Et aliqui addunt illos montes radicibus esse coherentes, et Sina esse longe altiore, quod in Euseb. non invenio explicatum, nec ab aliis probatum; et præterea nullus eorum explicat quomodo lex in utroque monte lata dicatur: nam licet essent propinqui, non potest dici simul fuisse datam legem in utroque loco: neque etiam propinquitas sola sufficit, ut quod in uno fit, dicatur fieri in altero, neque ut nomen unius alteri tribuatur. Et ideo est secunda sententia Cajetani, Exod. 3, montem Sinai fuisse montem præcipuum, et montem vocatum Heloim: Horeb autem fuisse partem ejus, et habuisse formam cujusdam parvi montis, ubi apparuit Deus Moysi in flamma rubi. Suæ autem assertionis nullam probationem adducit Cajetanus. Et aliunde habet difficultatem, quia ipse dicit ibi dictum esse *Ad montem Dei Horeb,* ad designandam partem montis Sinai, in qua apparuit Dominus Moysi; ergo similiter cum Malachiæ 4 dicitur: *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb,* et cum dicitur Deuter. 4: *Docebis eam filios ac nepotes tuos a die in quo stetit coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, etc.;* in his, inquam, et similibus locis, Horeb designat partem montis Sinai in qua data est lex: ergo non poterat esse pars illa in forma montis parvi, quia pars illa montis Sinai in qua Deus apparuit ad dandam legem erat cacumen seu vertex totius montis, ut constat Exod. 19, et significatur Deuter. 4, ubi etiam indicatur partem illam fuisse eminentissimam. Propter quod alii eandem opinionem quoad prius membrum sequentes, scilicet, Horeb fuisse partem montis Sinai, dixerunt Horeb esse velut jugum quoddam eminens super impositum montis Sina. Ita refert Pe-

reir., Exod. 3, disput. 3. Non tamen affert probationem, et præterea habet hoc difficultatem toti huic sententiæ et sequenti communem, quam statim proponam.

11. *Tertia opinio.*—*Hieronimi sententia approbandi.*—*Omnia in concordiam rediguntur.*—Est ergo tertia sententia D. Hieronymi, in dicto lib. de Locis hebraicis, sub verbo Horeb, ubi, relicta sententia Eusebii, sic inquit: *Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Horeb, vocetur; et idem sentit Joseph., lib. 2 Antiquit., cap. quinto, alias 12, ubi referens apparitionem Dei in rubo, quam Scriptura dicit factam esse in monte Horeb, dicit factam esse in monte Sina, quem celsissimum esse affirmat. Et ita hæc opinio videtur fieri valde probabilis. Habet tamen difficultatem, si cap. 17 et 19 Exodi inter se conferantur: nam in 17 cap. dicitur Populum Israel, profectum de deserto Sim, castrametatum esse in Raphidim: et subdit Deus infra: *En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiamque petram, etc.* Unde Hieronymus, in Locis hebraicis, dicit *Raphidim* fuisse locum in deserto juxta montem Horeb; et ita inter mirabilia facta ejusdem montis poni solent et apparitio in rubo, et fluxus aquarum ex petra. At vero in cap. 19 additur quod filii Israel, profecti de Raphidim, pervenerunt in desertum Sinai e regione montis qui statim vocatur mons Sina, in quo lex fuit data. Ergo necesse est illos montes esse distinctos, imo etiam esse satis distantes, quandoquidem ab uno ad alium profectus est populus. Quæ ratio recte mihi probat Horeb non posse esse solum jugum eminens montis Sina. Non tamen videtur urgere contra sententiam Hieronymi, quia licet Horeb fuerit idem mons qui Sina, nihilominus potuit mons ille protrahi per magnam magnitudinem deserti, et ita potuit populus per radices montis varias mansiones efficere, ut idem Hieronymus declarat in Epistol. 127 ad Fabiolam, mansi. 8 et sequentibus. Solum ergo probat mihi illa ratio, petram Horeb, de qua fluxerunt aquæ, Exod. 17, non fuisse in eadem parte ejusdem montis in qua data est lex. Et forte illa pars erat in formam parvi montis, de qua potest verificari opinio Cajetani. Nihilominus tamen verum censeo etiam illam partem montis in qua data est lex, fuisse vocatam Horeb, quia hoc plane significat Scriptura, quoties dicit legem datam esse in Horeb. Neque est verisimile loqui*

de eodem monte secundum diversas partes ejus, quando eandem legis promulgationem, et omnia signa quæ in ea acciderunt, indifferenter describit sub nomine Horeb et Sina. Recte ergo Hieronymus dixit hæc fuisse duo nomina ejusdem montis. Verisimileque est montem Sinai fuisse quasi nomen appellativum seu denominativum a vicino deserto, quod vocabatur solitudo Sinai, Exod. 19; nomen autem Horeb fuisse proprium, et præcipuam ac excelsiorem partem ejus significasse, et ab illa montem totum, montem Horeb et montem Dei esse appellatum. Et hoc modo facile omnia in concordiam redigi possunt.

12. *Circa tempus promulgationis legis veteris, primum certum.*—Altera circumstantia promulgationis est tempus, quod certum imprimis est, fuisse post multos annos a creatione mundi et lapsum primi hominis: nam id in Scriptura evidens est. Cujus rationem investigat D. Thom., quæst. 98, art. 6. Hæc vero quæstio fere similis est alteri quæ de incarnatione tractatur 3 part., quæst. 1, cur, videlicet, tanto tempore post lapsum hominis dilata sit. Sicut enim lex intuitu CHRISTI et incarnationis ejus data est, ita ad illam ferendam tempus illud divina sapientia electum est, quod respectu temporis futuræ incarnationis magis esset accommodatum. Debit ergo esse medium, seu interpositum inter tempus creationis et incarnationis: nam post peccatum hominis per multum tempus dilata est lex, ut homines lapsi fragilitatem naturæ suæ et indigentiam sui status magis agnoscerent; et quia de sua scientia et ratione præsumebant, sine lege relicti sunt, ut agnoscerent rationem naturalem sibi non posse sufficere; nam sibi relicta plurimum obscurata est, et in varios errores lapsa. Postea vero, ne hoc malum nimium cresceret, et omnes hominum nationes prorsus occuparet, opportuno tempore data est lex, et ad illam electa est illa gens ex qua Christus erat nasciturus, et ita quodammodo inchoata est tempore Abraham, cui data est circumcisio, quia tunc fere omnes homines idolatriæ dediti erant. Et hanc rationem illius dilationis tradit Paul., in Epist. ad Rom., a principio, ubi hæc ratione dicit per legem datam esse peccati cognitionem, et similia.

13. *Lex vetus multo tempore ante Christi adventum data.*—*Lex vetus data anno 2513 a creatione mundi.*—Deinde data est etiam illa lex multo tempore ante Christi adventum,

ut ab illo populo peculiari fide et spe crederetur et speraretur, et majori affectu desideraretur ac peteretur, ac denique ut Christi progenitores multo ante adventum ejus specialiter essent cultores Dei cum tota sua progenie, seu natione; quia vero non solum de scientia, sed etiam de viribus suis homines gloriabantur, data est etiam illa lex, quæ præciperet, et non juvaret, ut homines magis necessitatem divinæ gratiæ et Christi, auctoris ejus, agnoscerent, ut Paulus in eadem Epist. ad Rom. et ad Gal. prosequitur. Non est autem illa lex data simul cum circumcisio, quia nondum erat sufficienter multiplicatus populus cui lex illa danda erat, ut in superioribus tactum est. Quod si quis inquirat quo tempore vel anno a creatione mundi data fuerit lex, respondeo breviter verisimile esse datam esse anno 2513 a creatione mundi, ut colligimus ex computatione, quam ad incarnationis tempus declarandum fecimus in 1 t. 3 part., disp. 6, sect. 1; data enim fuit 400 anno a circumcisioe data Abraham, ut testatur Stephan., Actor. 7, vel (quod idem est) 430 annis post vocationem Abraham et egressum ejus de terra sua, Genes. 12, ut sumitur ex Paul., ad Gal. 3; ita enim duo illa loca conciliantur. Denique data est quinquaginta diebus post exitum populi de Ægypto, ut supputat Hieronym. dict. Epistol. 127, mansi. 12; et de hoc puncto seu tempore videri potest August., lib. 18 de Civit., cap. 11, et 4 cont. Faust., cap. 2; divus Thom., quæst. 98, art. 6; et Pereir., in cap. 12 Exodi, disput. 19.

14. Ultimo tandem advertendum est ea quæ de his circumstantiis diximus, intelligenda esse de illa lege, quoad præcipuam ejus fere partem, vel (ut ita dicam) quoad totum corpus illius, non vero quoad omnia et singula præcepta ejus; sic enim non fuerunt omnia ejus præcepta in eodem loco, nec in eodem tempore data: nam de præcepto circumcisiois jam dictum est multo tempore fuisse datum ante legem, et, quia datum est, ut perpetuo in illo populo duraret, Genes. 17, necessarium fuit veteri legi adjungi, ut etiam ante illam latam, Exod. 12, significatum est, licet postea etiam clarius traditum sit Levit. 12. Item, dicto loco Exod. 12, promissum est præceptum de celebratione Paschatis et Azymorum, et cap. 16 additum est præceptum de observatione sabbati. Post legem vero datam in monte, addita sunt ei aliqua præcepta, ut constat Num. 27, de modo succedendi filii hæredis in hæreditate patris, deficiente filio,

etc.; et in sequentibus capitibus adduntur aliæ leges, quæ videntur post legem et in diversis locis latæ.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS VETERIS LEGIS.

1. *Prima conclusio.*—Duplex effectus legis distingui potest ex dictis in superioribus: unum per se et immediatus, qui per ipsam legem moraliter fit; alius remotus, qui resultat ex opere quo lex impletur aut violatur: sub priori membro continetur præcipue obligatio in conscientia, sub qua, ut in superioribus dixi, continentur quatuor effectus legis, quos Isidorus numerat, præsertim duo primi, qui sunt præcipere et prohibere: nam tertius, qui est permittere, vel dicit potius ablationem obligationis, vel, si dicat exemptionem a pœna, dicit consequenter obligationem legis ad illam exemptionem servandam. Et simili modo punitio, quæ est quartus effectus, quoad obligationem ejus, sub hoc membro comprehendi potest. Sub altero vero membro continetur imprimis opus ipsum lege præceptum, vel ommissio operis prohibiti, deinde pœna imposita transgressioni præcepti, ad quam etiam præmium reducitur; denique huc etiam spectat ultimus effectus per legem intentus, qui est facere bonum subditum legis. Isti ergo omnes effectus in hac lege divina veteri considerari possunt et debent: unde dico primo legem illam habuisse illum effectum legis, qui per se convenit legi, eo ipso quod vera lex est, qualis est obligatio in conscientia. Hæc assertio videtur manifesta ex dictis supra de lege in communi. Item est etiam certa; nam per transgressionem illius legis incurri poterat culpa et peccatum coram Deo, atque etiam reatus mortis æternæ; ergo lex ipsa in conscientia obligavit. Item Paulus, ad Galat. 5, testificatur omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ; debitum autem illud potissime ad conscientiam pertinet, ut per se notum est. De hac autem obligatione dubitari potest, quanta fuerit, id est, an fuerit sub mortali vel veniali. Hoc vero non habet in præsentī specialem difficultatem. Nam de tota lege collective sumpta non potest una generalis regula tradi: complectebatur enim plura præcepta, quædam graviora, et alia leviora, et ideo secundum diversa præcepta uno, vel alio modo obligare poterat. Ad discernendam autem